



**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaeer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

inter bruta etiam Dei notitiam est consecutus. Et quis dubitat, quin omnibus fortunæ donis optabilior fuerit Propheta Iolo sua calamitas? Sanè D. Chrysostomus affirmare non veretur, simum illum, in quo sedebat Iob,  
Chrysost.  
Hom. 5. ad  
Pop. Ant.  
 omni tribunali Regio venerabiliorem sibi videri. Et multi nunc, inquit, transmarinam peregrinationem à terræ finibus suscipientes in Arabiam abeunt, ut simum illum cernant: & conspicati terram, deosculantur, quæ illius victoris certamina & crux omni auro pretiosiorem excepit. Ex his cùm perspicuum sit, quām iniqua sit hominis aduersus Deum de temporis iniquitate & rebus aduersis expostulatio; ad aliam querelam, quæ plus in speciem habet fundamenti, & ipsis interdum sapientibus excidit, cum Ecclesiaste pergamus.

## SECTIO DECIMA QVARTA.

## ECCLESIASTES.

- VERS. 16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: iustus perit in iustitiâ suâ, & impius multo viuit tempore in malitiâ suâ.  
 17. Noli esse iustus multùm: neque plus sapias quām necesse est, ne obstupescas.  
 18. Ne impiè agas multùm; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

## METRICA PARAPHRASIS.

E C C E alius vitæ scopulus probrofa minatur  
 Naufragia, & aëstu pectus ancipiti rotat.  
 Ooo Summe

Summe Deus vastum nutu qui concutis orbem,  
 Aptasque rerum ac temporum alternas vices,  
 Nullone humanos libras examine casus?  
 Nullane nos in parte curarum locas?  
 Heu vidi, dum suspirans mea fata peregi,  
     Vitæque mimum umbratilem in scenam dedi,  
 Vidi alacri vultu ac rectâ ceruice nocentes,  
     Quæis una lex libido, quæis nullum est iugum,  
 Qui innocuis ludunt iugulis, rapiuntque, feruntque,  
     Scelusque nullum sceleribus pasti autumant,  
 Ducere inoffensos naturæ tramite cursus  
     Adusque seras capitis incani niues.  
 Nulla licet scelerum saties, neque cura pudoris  
     Malè feriatis limitem figat, tamen  
 Qui sola terrarum despectat ab aetheris axe,  
     Longam nefastis prorogat vita diem.  
 Parte aliâ iustique tenax & cultor honesti  
     Panè inter aras funus immeritum cadit.  
 Nil pietas, nihil cana fides, nihil inclita virtus  
     Cohibere tela mortis indomita queunt:  
 Sed veluti cùm vere novo pubescere tellus  
     Incipit, & hortos primus inuestit color,  
 Aut tenera ad Boream declinant lilia culmos,  
     Aut verna pluuiis purpura exspirat Notis,  
 Inuida fata piis media sic fila iuuentæ,  
     Et quos coronant merita, præ cunctis secant.  
 En scopulum. Quid enim superis pia turba litamus,  
     Decreta sceleri poena si iustum premit?  
 Ab! caue ne fatis legem præscribere tentes,  
     Superumque placita lance mendaci exigas.  
 Neu nimium sapuisse velis, rebusque minorem  
     Aciem fatiges ingenI calo abditis.

Ut

Ut Phœbi radiis caligant luminis orbes,  
 Sic tibi retusæ mentis obrepet stupor.  
 Impia sacrilego neu lingua regurgitet æstu,  
 Commenta stolidi cordis in Deum euomens,  
 ( Otia ceu celi sub cardine languida ducat,  
 Securus imas fors quid in terras vehat )  
 Ne tibi sidereâ fulmen iaculetur ab arce  
 Crudoque vitam funere abrumpat Deus.  
 Sit licet vsque pius, serisque ardescat in iras,  
 Et ad nocentem laneo adrepat pede;  
 Si tamen in calum blasphema resolueris ora,  
 Celeres in iras læsa maiestas ruet.

## PROSA EXEGESIS.

**N**ovvs h̄c lapis offensionis obiicitur, noua quere-  
 larum seges ac materia: & in speciem quidem prio-  
 ri illa vulgi quiritatione solidior, reuerâ tamen ad cu-  
 mulum miseriарum huius vitæ pertinens ( quæ , vt insi-  
 nuat Ecclesiastes , non tantum vanitatis est plenissima,  
 sed etiam ipsa vanitas ) quòd nimirum iusti in medio Iustis in-  
terdum  
breuissi-  
ma, impie-  
longa vita  
conceditur.  
 ætatis flore, dum se Deo vel maximè probant, immaturâ  
 morte succidantur ; impij verò , dum in omnium scele-  
 rum colluione voluntur, etiam vltra metam votorum  
 suorum vitam voluptatesque producant. Cùm enim de  
 Deo eiusque prouidentiâ nihil nisi iustum sanctumque  
 concipere fas sit; mirantur & indignantur non pauci,  
 eam in hac vitâ iustorum atque impiorum sortem vi-  
 deri, quam ad æquitatis lancem reuocare vix possint .  
 Sanè , si Boëtium audimus , mala fieri in regno scientis Boëtius  
lib. 4. de  
Confol.  
 omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Prof. I.  
 Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Et  
 tamen vix orbe condito innocentis Abeli sanguine terra

OOO 2 imbuta